



Cultura rettangolare

Prot. N. 01153/2024-1423/23/I

DECRETUM

PAENITENTIARIA APOSTOLICA, ad augendam fidelium religionem animarumque salutem, vi facultatum sibi specialissimo modo a Sanctissimo in Christo Patre et Domino Nostro, Domino Francisco Divina Providentia Papa tributarum, attentis precibus nuper allatis ab Exc.mo Domino Conrado Lorefice, Archiepiscopo Metropolita Panormitano et Primate Siciliae, una cum Parocho Panormitanae Paroeciae, sub tit. Sanctae Rosaliae, in centesimo eiusdem Paroeciae anniversario, de caelestibus Ecclesiae thesauris benigne concedit plenariam Indulgentiam, suetis sub condicionibus (sacramentali Confessione, eucharistica Communionem et oratione ad mentem Summi Pontificis) a christifidelibus vere paenitentibus atque caritate compulsis a die XXVII Aprilis MMXXIV usque ad diem XXVII Aprilis MMXXV lucranda, quam etiam animabus fidelium in Purgatorio detentis per modum suffragii applicare possint, si paroecialem Sanctae Rosaliae ecclesiam in forma peregrinationis inviserint et ibi iubilariis ritibus devote interfuerint, vel saltem per congruum temporis spatium piis vacaverint considerationibus, concludendis Oratione Dominica, Symbolo Fidei invocationibusque Beatae Mariae Virginis et Caelestis Patronae Rosaliae.

Senes, infirmi omnesque qui gravi causa domo exire nequeunt, pariter plenariam consequi poterunt Indulgentiam, concepta detestatione cuiusque peccati et intentione praestandi, ubi primum licuerit, tres consuetas condiciones, si iubilariis celebrationibus se spiritualiter adiunxerint, precibus doloribusque suis vel incommodis propriae vitae misericordiae Deo oblatis.

Quo igitur accessus, ad divinam veniam per Ecclesiae claves consequendam, facilius pro pastoralis caritate evadat, haec Paenitentia enixe rogat ut Parochus et sacerdotes, opportunis facultatibus ad confessiones excipiendas praediti, prompto et generoso animo, celebrationi Paenitentiae sese praebeant.

Praesenti per paroeciale Iubilaeum valituro. Non obstantibus in contrarium facientibus quibuscumque.

Datum Romae, ex aedibus Paenitentiarum Apostolicarum, die V mensis Aprilis, anno Dominicae Incarnationis MMXXIV.

*Conrado Lorefice
Archiepiscopo Metropolita Panormitano
et Primate Siciliae*

*Christophorus Nykcel
Regeus*